



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 1. Symbola. Similitudines. Ex Veteri. Novo. Patribus, & aliis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

honoratiore, ut contingit. Humi sedebat, non in sublimi folio. Licet auctoritatem Christo ampliore frequenter Discipulorum comitatus, & sublimior sedes, & dignior locus, attulisset: sed ea ad hujus mulieris conversionem non conducebant; quam humilitate, & mansuetudine, revocari oportebat. Didacus Niss. f. 6. D. 3. Quad. §. 5.

Rara sanè in juvenibus est humilitas; ideoque miranda. Dum ætas viget, dum vires solidæ sunt,

dum sanguis æstuat, dum sollicitudo nescitur, dum ignoratur debilitas, dum lætitia frequentatur; tunc fervet jactantia, tunc se juventutis superbus extollit affectus, tunc humilitas quasi vilescit, abjecta contemnitur; tunc subjectio degeneris conscientie æstimatur infirmitas. S. Ambros. f. 18. in Pf. 118. Adolescentulus sum ego.

Humilitas ipsa sumptus necessarios subministrat ad ædificationem Evangelicæ turris. Gilbertus f. 26. in Cant.

TITULUS VIII. HYPOCRISIS.

§. I.

Symbola, & Similitudines.

Ex Veteri, & Novo.

Fater sui draconum, & socius struthionum. Job. 30. 29. Quid per dracones, nisi malitia? quid verò struthionum nomine, nisi hypocrisis designatur? Struthio quippe volandi speciem habet; sed usum volandi non habet: quia & hypocrisis cunctis inventibus de se imaginem sanctitatis insinuat; sed tenere viam sanctitatis ignorat. S. Gregor. mor. lib. 7. cap. 12.

Nè fueris hypocrita in conspectu hominum. Eccli. 1. 37. Cornelius ex Græco: nè sis actor tragediæ, seu comediæ, nec sis tristis, nec mimus, ad ora hominum. Nomen ipsum hypocrita histrionem proprie significat; qui, alia persona cum sit, aliam agit. Unde Christus Matth. 6. 4. *nè justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* Hebr. *ut spectemini.* Verbum hoc, addit Maldonatus, theatrale est. Significat igitur: nihil in hypocrisis esse veræ, solidæque, virtutis; quidquid agunt, simulatio est. Escobar t. 3. Coll. Chr. f. 1. obs. 1. In hoc Mundo plurimi, tanquam in theatro, simulatis personis utuntur, & fictis; & cum sint intrinsecus aliud, aliud se esse hominibus ostendunt. S. Zeno Veron. f. de jejuniis.

Ova aspidum ruperunt. II. 59. 5. Ova aspidum sunt exterius alba, pulchra, & oculis grata; intus autem venenò plena. Ita hypocrisis. Stella. in Luc. 7.

Tres pueri, Dan. 3. 58. omnes creaturas ad laudandum DEum provocant; iridem excludunt: quia in arcu cœlesti non verus, sed apparens, & fugax, splendor nitet. Arcones in II. 2. Disc. 3.

In vestimentis ovium. Matth. 7. 15. Multa vestimenta ovium habent; ipsi tamen oves non sunt. Vestimenta ovium portare, ovemque non esse, speciem est habere virtutis, veritatem verò ejus est abjecisse post tergum. Simon Cass. l. 7. c. 12.

Superfeminavit Zizania in medio tritici. Matth. 13. 25. Imitatur virtutem improbitas, & Zizania contendit tritico videri; quod quidem speciem quædam tritico assimilatur, gustu

Rolyanth. Sacr. Tom. I.

autem à sentientibus facile discernitur. S. Cyrillus Jerof. Catech. 4.

Fuir in diebus Herodis. Luc. 1. 5. Herodes interpretatur *glorians in pelibus*; & significat diabolum, qui gloriatur in hypocrisis, qui pelibus ovium sunt induti; *intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Hugo Card. hic.

Ædificatis eorum sepulchra. Luc. 11. 48. Sepulchrum dicitur quasi semipulchrum, & significat hypocritas; qui habent pulchritudinem exteriorem, sed carent interiori. Sepulchra ergo ædificat, quicunque vult apparere bonus exteriùs; cum sit malus interiùs. Hugo Card. in Luc.

Attendite à fermento Phariseorum. Luc. 12. 1. Omnia opera hypocritæ sunt velut falsà moneta; quæ intus ferrea, exteriùs verò deaurata est. Et sicut in pharmacopoliis sunt aliqua vasa, literis designantibus, medicamentum aliquid salubre esse inclusum; cum tamen nihil, nisi toxicum continent. Et sicut umbrosum nemus, quod primâ facie amœnum, & delictis plenum apparet; cum intus plenum sit lupis, serpentibus &c. Stella hic.

Septem candelabra aurea. Apoc. 1. 12. Dicuntur aurea, ad differentiam hypocritarum; qui sunt deaurati pulchra conversatione; sed non aurei sanctitate vitæ. Albert. M.

Hypocritæ similes sunt *monstrois locustis* Apoc. 9. 8. 9. hæ habebant faciem mulierum, sed caudam scorpionum. Cornelius in Matth. 6. v. 2.

Ex Patribus, & aliis.

Hypocrisis est instar nivis; & hypocrita est quasi sterquilinum nive contactum; utpote qui vitia omnia candore simulatæ virtutis, velut nive, obtegit. Clemens Alex. l. 3. Strom.

Quemadmodum, cui impositum est cataplasma, & cui inuncti sunt oculi; vel ipsò aspectu præbet morbi suspensionem: ita fuci, tincturæ, & colores illiti, animam intrinsecus ægrotare significant. Clemens Alex. l. 3. cap. 2.

Interpretatur hypocrisis deauratio: quod nomen Latium sic à nobis accipitur, ut res quælibet in superficie, colore lucens aureò, sentiat intus esse sinè aurò. Rupertus in Matth. lib. 5.

Sss s 2

Hypo-

Hypocrita monstrum est, cui simile nunquam fecit natura: qui nec vult esse, quod videtur; neque vult esse, quod est. Vir hypocrita caret hospitio; solum falsitas accepit eum in domum suam, & ministravit ei de infernalibus facultatibus suis. Nudus incedit hypocrita; deceptio ejus ei praebevit vestimentum. Famelicus erat, non saturandus pane: patiebatur sitim, non vinum complendus; sed laus humana dedit ei cibum, & potum. Infirmus erat, propter deficientem virtutem; sed reputatio aliena visitavit, imò confortavit, eum. Erat in carceribus peccatorum; sed daemones accesserunt ad eum, redemptionem falsò spondentes; & deluserunt destinentes eum. Mortuus jacebat in plateis Ninive speciosae, videlicet Mundi; sed fama hominum in cordibus suis sepelivit eum. Simon Cass. l. 8. c. 32.

Nolite in jejunio hypocritis similes fieri, qui sunt pictores diaboli, periti suam doctrinam in arte pingendi. Non enim pictores, cum aliquam ex diversis subjectis coloribus volunt formare imaginem, de interioribus curant; quomodo stomachus, cor, pulmo, jecurque, locentur; sed duntaxat, quomodo exteriora intuentium oculis aptiora reddantur. Idem lib. 10. cap. 36.

Hypocritae similes libris falsis, quorum falsitas, dum clausi, non agnoscitur; sed dum aperiuntur, & leguntur. In Judicio, libris apertis, opera falsa apparebunt. Geminiani l. 9. c. 34.

Lignum putridum, & cariosum, nocte relucet, & quasi res pretiosa apparet; die verò ejus vilitas, & corruptio, proditur. Modò sumus omnes in nocte obscura: & multi, cum sint corrupti, vitiis pleni, mentis virtutibus micare contendunt, boni videri cupientes. At postquam dies illuxerit; tunc revelabitur, quis lignum putridum sit, quis non. Diez Conc. 2. in Nat. D.

Horologia solaria, si nubes, aut nox, solem subducant, nullam horam designant. Hypocrita in luce horas demonstrant; tantum operantur, cum videntur. Oliva lib. 13. Strom. Luc. 17. 21.

§. II.

Hypocritis descriptio, proprietates, actus.

Populus hic labiis me honorat. Matth. 15. 8. Quod profertur in ore, non versatur in corde. Cantabit Kyrie eleison, qui nemini misericordiam fecit, Deique contempsit. Cantabit Christe eleison, qui Christi sanguini contumeliam intulit. Cantabit Gloria, qui omnem gloriam, etiam ex cantu, mercatur in terrenis. Cantabit alleluja, qui DEUM in suis vituperat moribus. Cantabit Epistolam, qui divinum non recipit missum. Cantabit Evangelium, cui praedicatio Mundi placet. Cantabit Graduale, qui per gradus non ascendit in bonum. Cantabit Tractum, ad sua placita tractus. Cantabit Sanctus S. S. qui corde, ore, & opere, est ini-

quus. Cantabit hanc Trinitatis laudem, qui in Trinitate animae suae, memoriae, intelligentiae, & voluntatis, portat pessimam labem. Cantabit Introitum Missae, & finem; qui principium malum fecit, qui finem debitum in Domino non constituit. Cantabit Pater noster, de quibus dici potest: vos ex Patre diabolo estis, Cantabit Dominus vobiscum, qui cum demonibus habet commercium &c. Simon Cass. l. 8. cap. 37.

Oculum attendit hypocrita, non DEUM; faciem, non fidem; pecuniam, non gratiam. Non fruitur Deo, sed utitur tanquam nummo; & nummò fruitur tanquam Deo. Deo erit Mundum; fide nummum; religione Sacculum, lacrymis vinum, jejuniis convivium, cilicò limum, silentio plausus hominum. Mirabile dictu! laet iste, ut appareat; tacet, ut audiat; non sequitur, ut consequatur; recedit, ut praecedat; fugit, ut apprehendat; plorat, ut rideat; jejunat, ut satiatur. Sic cancer serpit. Petrus Cell. de pane lugent. c. 16.

§. III.

Hypocritism fugiendi motiva.

Num. I.

Malitia, damna.

Subito defecerunt in civitate sua imaginem ipsorum ad nihilum rediges. Pl. 73. 19. 20. Quæris: quomodo repente, qui pius habebatur, corruat? fucam praeferebat sanctimoniam, non veram. Nonne vides imaginem solum eorum, virtutum coloribus adumbratam, à DEO expungi? Nimirum imaginem virtutis, non virtutem possederunt. Ideo DEUS virtutum fucum illum cito obliterat, & delet. Non diu, mihi crede, in civitate Domini virtutum, imago ficta, simulataque virtutis. Ad tempus forte breve fulgebis; tum ad nihilum à DEO redigetur. Oliva l. 12. Strom. hic.

Hypocrite! Matth. 23. 27. Scribas Dominus reprehensus; cum eos raptores, ambitiosos, sacrilegos, parricidas, jure posset vocare; maluit hypocritas dicere: ac si nihil DEO odiosius esse posset, quam crusta virtutis. Maluit eos inscribi sepulchra dealbata; quam nigra, & fuliginosa: Domino enim minus exosa sunt atra, quam quæ alba non sunt, & sunt dealbata. Oliva lib. 10. Strom. §. Renovamini Spiritu.

Assumit septem alios spiritus secum nequiores se. Luc. 11. 26. Spiritus malus est Spiritus superbiae; nequior illò simulatio humilitatis: Spiritus malus, spiritus invidiae; nequior illò simulatio charitatis: Spiritus malus, spiritus mendacii; nequior illò simulatio veritatis: Spiritus malus, Spiritus luxuriae; nequior illò simulatio castitatis: Spiritus malus, spiritus avaritiae; nequior illò simulatio misericordiae. S. Prosper Aquit. de promiss. & praedict. p. 2. cap. 39.

Pejor est, qui se, cum sit malus, bonum ostendit; quam ille, qui aperte est malus. S. Ambros. in ep. 1. Tim. c. 5.

Hypo-